



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 19. Mediolanansis Ducis iter ad Florentinam urbem

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

dem Filii exemplo animati, tam invicta Secul. XV.  
 animi fortitudine hostium impulsus exci- A.C. 1473.  
 piebant, ut Gallorum exercitus obsidio-  
 nem solvere, & pactis utrinque sex men-  
 sium induciis pedem referre compellere-  
 tur. Verum Ludovicus XI. vix elapso  
 semestri urbem redintegrata obsidione  
 ad deditioem subegit.

## §. XIX.

*Mediolanensis Ducis iter ad Floren-  
 tiam urbem.*

**A**d Pentecostes solemnia Ludovicus Brutus hist.  
 Sfortia Mediolanensium Dux adven- Florent. lib. 5  
 tu suo Florentiam honorabat, ut votum,  
 quod nuncupaverat, persolveret. Ergo  
 Cives obviam effusi adventantem summis  
 honoribus, ingentique pompa excipiunt;  
 eorum tamen lætitia brevi in luctum  
 versa est; cum enim quidam Juvenes, ut  
 huic solemnitati majorem adhuc splen-  
 dorem conciliarent, descensum Spiritus  
 sancti in specie ignis ex fornice Cathedra-  
 lis Ecclesiæ exhiberent, & totius po-  
 puli mens, & oculus ad hujus spectaculi  
 novitatem affixus hæreret, repente ignea  
 ejusmodi lingua tecto Ecclesiæ adhæ-  
 rens, tanta rapiditate latius ubique in-  
 cendium propagavit, ut tota pene Eccle-  
 sia flammarum vi absumpta fuerit, nihil  
 proficiente ignem extinguendum sollicitu-  
 dine.

Paulo

Sæcul. XV. Paulo post Sfortia cum Florentia Me-  
 A.C. 1473. diolanum reversus esset, excepit Genuer-  
 sium legationem, cujus Princeps erat  
 Franciscus Marchesius Jurisconsultus.  
 Hic a Duce equidem audiri desperabat;  
 eum enim semper accessu satis difficilem  
 noverat, nunc vero difficiliorem; cum  
 Ducem minime lateret; hanc legatio-  
 nem unice eo fine a Genuensibus, quibus  
 ipse imperabat, fuisse decretam, ut ad-  
 versus tyrannicum ejus imperium que-  
 rerentur; nihilominus tamen Marchesius,  
 ne omnino re infecta abire cogere-  
 tur, Sfortiæ Duci parvam corbem quadam  
 planta, quam *Ocimum* (\*) vocant, reple-  
 tam transmisit. Sfortia Dux accepto mu-  
 nere quantocius Marchesium accersiri  
 jubet, ut ab ipso met de hujus doni ratio-  
 ne ac mysterio edoceretur. Itaque Mar-  
 chesius Duci rem sciscitanti hunc in mo-  
 dum respondit „Celsissime Princeps! con-  
 „ spectum tuum subeo Genuensium Le-  
 „ gatus, quorum indoles huic plantæ  
 „ simillima est; hæc enim moliter ta-  
 „ sta suavem exhalat odorem, contrita  
 „ vero ac compressa scorprios generat.“  
 Prompta hæc non minus ac concinna re-  
 sponsio tantopere Duci placuit, ut dein-  
 ceptus Genuenses mitius haberet, ac ma-  
 jori erga eos moderatione uteretur.

§. XX.

(\*) Hanc plantam Galli *Basilic*, Germani ve-  
 ro *Basiliensfraut* appellant.